

« civilem; alteram quidem divinis, alteram humanis  
« rebus praepositam. »

Constat 3<sup>o</sup> *principum christianorum confessione.*

Quo magis pietate ac zelo christiani principes commendabiles fuerint, eo majori humilitate professi sunt se in rebus spiritualibus Ecclesiae esse subjectos, non praefectos. Ita Constantinus Magnus in conc. Nicaeno, Theodosius Junior in epist. ad Conc. Eph., Valentinianus, Honorius, Basilius, Justinianus, etc... Unum citabimus, nempe Basilius, qui in octava synodo generali mentem suam aperiebat sic: « Hoc investigare et quaerere, patriarcharum, pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves; non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel a ligamento solvi egemus. »

Et revera, historia constat, principes quamvis non raro conciliis per se aut per legatos interfuerint, nunquam tamen ad ea convocatos fuisse tanquam necessarios iudices, neque more episcoporum sententiam suam dedisse. Jam vero, si principibus jure divino adscriberetur auctoritas ad regendam Ecclesiam, id a nemine ignorari potuit, multo minus ab Imperatoribus ipsis. Ergo dicendum esset, et Ecclesiam principum jura contempsisse, et ipsosmet principes, praesertim piissimos et praestantissimos, se sua auctoritate spoliari passos fuisse; quae sane incredibilia sunt, quia impossibilia.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 263.

65. *Ad 1.* Quidquid principes aliquando egerunt

quo viderentur conciliorum decreta roborare, aut nonnulla statuere circa res ecclesiasticas, aut pastores designare, id non praestiterunt ex auctoritate spirituali sibi divinitus inhaerente, sed de episcoporum et Romani Pontificis consensu, ut potestas civilis deserviret ecclesiasticae; talia autem acta independenter ab Ecclesiae acceptatione nullam vim habuerunt.

266. *Ad 2.* Ut Ecclesia societatis civilis pars dici valeat, non sufficit quod procuret temporalem felicitatem, aut quod inter cives temporalis societatis inita sit. Procurat enim felicitatem temporalem tanquam causa ordinis superioris, et initur inter cives pro fine superiori, nempe, felicitate aeterna. Porro causa felicitatis temporalis superexcedens omnem societatem civilem, item societas inita pro fine superexcedente finem cujuscumque societatis civilis, non est ejusdem pars.

267. *Ad 3.* Posita distinctione utriusque societatis, nempe, civilis et ecclesiasticae, non repugnat unquamque societatem habere propriam potestatem supremam; tunc enim non sunt duae potestates supremae in una et eadem societate.

#### QUAESTIO VII<sup>a</sup>

An et quomodo episcopi sint jure divino Apostolorum  
successores?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 532... 550. — Perriot : *de Eccl.*, p. 258... 298. — Brugère : *de Eccl.*, n. 51... 54.)

268. *Resp.* Nonnulla praemittenda sunt de natura episcopatus.

Quoad nomen, episcopus (graece *episkopos*) vigilantiam, sollicitudinem et curam sonat, idemque significat ac *superintendens*.

Quoad rem, episcopus considerari potest, vel quatenus in certo gradu hierarchiae ordinis, vel quatenus in certo gradu hierarchiae jurisdictionis constituitur. Sub primo respectu definitur: *Ille qui habet plenitudinem sacerdotii, vi cujus caeteros ministros, etiam sacerdotes et episcopos, consecrare potest.* Sub secundo respectu definitur: *Rector aut pastor alicuius ecclesiae quam proprio nomine administrat.*

Pastor autem ecclesiae proprie dictus, seu episcopali jurisdictione gaudens, distinguitur a Vicario Apostolico, etiam habenti characterem episcopalem. Vicarius Apostolicus partem aliquam Ecclesiae gubernat nomine Romani Pontificis, et tanquam ejus delegatus ad nutum revocabilis, et alias non habens facultates nisi quae ei a Papa positive conceduntur. Exemplum habes in Cardinali Vicario dioecesi Romanae praeposito. Hujus quippe Romanae dioeceseos solus Papa est vere episcopus, quam tamen administrat per Cardinalem Vicarium. Alia autem territoria Vicariis Apostolicis commissa, habere licet veluti quasdam dioeceseos Romanae extensiones. At episcopus, seu pastor proprie dictus, dioecesim sibi assignatam veluti proprium gregem administrat, nec est merus Papae delegatus. Unde semel ac titulo suo potitur, statim habet omnes facultates bono dioeceseos regimini necessarias, nisi Papa eas positive limitaverit.

Itaque episcopatus, prout in se tam ordinis quam

jurisdictionis certum gradum complectitur, est *auctoritas proprie pastoralis ad regendam aliquam Ecclesiam, cum plenitudine sacerdotii.*

Dubium non est omnes episcopos, quoad potestatem ordinis, Apostolis succedere. Nam, juxta doctrinam theologorum, character episcopalis est supremus in hierarchia ordinis gradus, qui episcopis non minus quam Apostolis, imo et S. Petro ac Romanis Pontificibus inest. Quaestio itaque versatur circa jurisdictionem episcopalem, de qua tria statuenda sunt.

**269. Dico 1°:** *Christus voluit corpus episcopale succedere collegio Apostolico, quoad jurisdictionem super universam Ecclesiam, sub Romano Pontifice tanquam capite, exercendam.*

Prob. 1° *Scriptura sacra.*

Christus enim, apud S. Matth. xviii, 18, tradens potestatem ligandi et solvendi, et ibid., xxviii, 19, mittens suos legatos ad fideles edocendos servare omnia quae mandaverat, alloquitur collegium Apostolorum, ipsique committit ministerium ad usque mundi finem duraturum. Porro Apostoli non nisi per suos successores poterant illud adimplere omnibus temporibus; et hi successores sunt saltem episcopi. Ergo episcopali corpori competit suprema ligandi, solvendi ac docendi potestas.

Prob. 2° *perpetua Ecclesiae praxi.*

Saepe concilia celebrata sunt ad causas fidei iudicandas, necnon ad ferendas leges disciplinares. Quoties vero haec concilia universalis fuerunt, nemo unquam dubitavit eorum decreta sive dogmatica, sive disciplinaria, habere vim legis, et obedientiam recu-

santes incurrere anathema Christi dicentis : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. At non minus certum est ea sola concilia ut oecumenica habita fuisse, quae episcopis constarent collegium episcopale repraesentantibus. Ergo Ecclesia docens et regens, a Christo in Apostolorum collegio instituta, essentialiter includit corpus episcopale.

Prob. 3<sup>o</sup> *auctoritate Patrum*.

S. Cyprianus (Epist. 17) : « Ecclesia super episcopos « constituitur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem « gubernatur. » S. Aug. (Lib. 7 de Bapt. cont. Don., c. 43), haec verba refert synodi sub S. Cypriano habitae : « Manifesta est Domini Nostri Jesu Christi « sententia Apostolos suos mittentis, et ipsis solis « potestatem sibi a Patre datam promittentis, quibus « nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei « gubernantes. »

Dictum est in conclusione : *sub Romano Pontifice tanquam Capite*; quia, ex supra demonstratis, collegio Apostolico singulariter praeerat Petrus, ac proinde corpori episcopali praeesse debet Petri successor. Unde episcopi etiam collective sumpti, sed sejuncti a Papa, non habent supremam in Ecclesia universa jurisdictionem.

**270. Dico 2<sup>o</sup> :** *Christus voluit ut variae Ecclesiae partes, episcopis qui eas proprio nomine tanquam pastores ordinarii regant, regulariter committantur; et, hoc sensu, jurisdictio episcopalis, in genere spectata, est de jure divino.*

Prob. 1<sup>o</sup> *agendi ratione Apostolorum*.

Apostoli, ab initio nascentis Ecclesiae, solliciti fuerunt ut in singulis ecclesiis particularibus instituerentur

episcopi, tanquam ordinarii pastores, et ille usus constanter perseveravit. Atqui institutio ita antiqua ut ad exordia Ecclesiae ascendat, ita stabilis ut nunquam interrupta fuerit, Christo attribuenda est.

Prob. 2<sup>o</sup> *ex verbis B. Pauli*.

Sic enim loquitur : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act., xx, 28). Haec verba allegat conc. Trid. sess. XXIII, c. 4, ubi, postquam affirmaverit ecclesiasticae hierarchiae existentiam, pergit : « Sacrosancta synodus declarat... episcopos, qui in « Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere; et positos, « sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. » Jam vero, positi a Spiritu sancto regere Ecclesiam, non sunt simplices delegati, sed ordinarii qui proprio nomine administrant; ubi enim aliquis alterius nomine gubernat, non censetur proprie regere, sed potius alter per illum regit. Ergo, non humana sed divina institutione episcopi positi sunt rectores ordinarii Ecclesiae. Atqui haec rectoria potestas non est ea tantum, vi cujus episcopi identidem Romano Pontifici cooperantur in decretis dogmaticis aut disciplinariis ferendis, sed ea quae quotidie exercetur super gregem sibi peculiariter commissum, ut satis indicant verba : *Attendite vobis et universo gregi*; intendebat enim B. Paulus episcopos praesentes ad proprii gregis custodiam incitare, quia tunc non agebatur de cooperatione B. Petro praestanda in regimine Ecclesiae universalis.

Prob. 3<sup>o</sup> *ex testimoniis Patrum*.

S. Clemens Rom. (1. Ep. ad Cor.) : « Apostoli, ac-

« ceptis mandatis, episcopos constituerunt. » Ergo ex Christi mandato varios episcopos super varias gregis dominici partes posuerunt.

S. Ignatius martyr (Ep. ad Eph. c. 3) : « Episcopi  
« per terrae terminos definiti ex Jesu Christi sunt sen-  
« tentia. » Quo nihil clarius.

S. Hieron. (Ep. 41 ad Marcel.) : « Apud nos Aposto-  
« lorum locum tenent episcopi, et episcopi Apostolo-  
« rum successores sunt. » Item S. Greg. M. (Hom. 26  
in Evang. n. 5) : « Horum (Apostolorum) profecto nunc  
« in Ecclesia episcopi locum tenent, ligandi atque sol-  
« vendi auctoritatem suscipiunt. » Profecto ex Christi  
voluntate Apostoli debuerunt habere successores. At,  
ex SS. Hier. et Greg., hi successores sunt episcopi,  
videlicet, quales in Ecclesia existunt et agnoscuntur,  
nempe singuli propriam dioecesim habitualiter re-  
gentes.

Prob. 4<sup>o</sup> *ex recentioribus declarationibus.*

Conc. Vatic. (Const. *Pastor aeternus*, c. 3) declarat  
Summi Pontificis potestatem non officere : « ordina-  
« riae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis  
« potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu sancto in  
« Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pas-  
« tores, assignatos sibi greges, singuli singulos pascunt  
« et regunt. » Ergo ratione praecise jurisdictionis, qua  
singuli episcopi regunt assignatos sibi greges, positi  
sunt a Spiritu sancto Apostolorum successores; ergo  
divina, non humana institutione provisum est, ut variis  
Ecclesiae partibus varii praeficerentur pastores.

Leo Papa XIII, in suis litteris : *Cum multa sint*, ad  
episcopos regionis Hispaniae directis 8 Dec. 1882, ait :  
« Sicut Pontifex Romanus totius est Ecclesiae magister

« et princeps, ita episcopi rectores et capita sunt  
« ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum accepe-  
« runt. . . Talis est christianae reipublicae constitutio,  
« eaque immutabilis ac perpetua. » Est itaque immu-  
tabilis illa Ecclesiae constitutio, vi cujus singuli epi-  
scopi, ecclesiarum quas ad gerendum acceperunt sunt  
rectores et capita, sicut et Pontifex Romanus totius  
est Ecclesiae magister et caput. At talis constitutionis  
immutabilitas oritur evidenter ex jure divino.

Prob. 5<sup>o</sup> *ex ratione.*

In regnis spatiosis, singulae provinciae distinctis  
rektoribus committuntur, ut eas proprio nomine, sub  
unius regis imperio, administrent; eaque dispositio  
ad perfectam regiminis ordinationem spectat, quate-  
nus supremum imperium ad subditos efficacius per-  
tingit, Capitis sollicitudo sublevatur, et datur etiam in  
principibus obedientiae exemplum. Atqui, Ecclesia non  
potuit a Christo minus perfecte constitui ac civilis socie-  
tas; et imo, quo magis, ex nativa sua indole, ad omnes  
gentes extenditur, eo magis tali ordinatione indiget.

Dictum est in conclusione : *regulariter*; quia, justis  
de causis, potest Papa certas Ecclesiae partes Vicariis  
Apostolicis, qui eas nomine Pontificis regant, commit-  
tere; sed certe contra jus divinum faceret, si omnes  
ecclesias particulares vellet per simplices Vicarios  
gubernare.

271. Dico 3<sup>o</sup> : *Jurisdictio Apostolis, qua talibus,  
competens, sub multiplici respectu jurisdictionem  
simpliciter episcopalem antecelluit, quamvis nec  
suprema fuerit, nec ordinaria.*

1<sup>a</sup> pars : *quod antecelluerit simpliciter episcopa-  
lem, constat dupliciter.*

1° Certum est Apostolos immediate a Christo missos esse per haec verba : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Euntes, docete omnes gentes*. At Episcopi, non tantum a Romano Pontifice mittuntur, sed, juxta communissimam sententiam infra probandam, ab eo immediate jurisdictionem accipiunt.

2° Jurisdictio Apostolis a Christo immediate collata, universalis fuit, tum secundum loca et personas, tum secundum objecta. Data est enim sine restrictione pro universo mundo et pro quocumque apostolico munere. Unde Apostoli poterant ubique gentium praedicare; sacramenta conferre; ecclesias fundare; episcopos, presbyteros, aliosve ministros consecrare et instituere; ecclesias fundatas regere, eorumque rectores instruere et corripere. Sic S. Paulus Romanos, Galatas, Ephesios, Colossenses, Philippenses, Thessalonicenses, datis litteris decretalibus, sacra doctrina imbuit; S. Jacobus suam epistolam direxit ad duodecim tribus quae erant in dispersione. At caeteri episcopi non nisi in ecclesias sibi commissas auctoritatem habent habitualiter exercendam.

2<sup>a</sup> pars : *quod jurisdictio Apostolica non suprema fuerit*, constat ex supra dictis de primatu B. Petri super Apostolos. Unde solummodo dependenter a suo Capite muneribus suis fungebantur; quae subordinatio, si non spectaret ad validitatem, necessaria saltem erat ad liceitatem.

3<sup>a</sup> pars : *quod Apostolica jurisdictio non fuerit ordinaria sed extraordinaria*, explicatur et probatur sic :

Certe haec jurisdictio ordinaria fuit, prout ordinaria opponitur delegatae; at non fuit, prout opponitur

extraordinariae. Hoc enim posteriori sensu aliqua jurisdictio est ordinaria, quae successoribus in perpetuum transmitti potest; extraordinaria, quae certae personae inhaeret et cum ea extinguitur. Jam vero, solam B. Petri jurisdictionem fuisse ordinariam, seu, successoribus transmittendam, caeterorum vero Apostolorum non fuisse nisi privilegium personale, primis quidem temporibus, ut Ecclesia melius propagaretur, conveniens, sed postea exstinguendum, omnes facile concedunt; nullus siquidem unquam somnavit singulos episcopos, sub hoc respectu, Apostolis esse coaequandos. Id insuper aperte declarat Pius VI in Brevi super nunciaturis, c. 3, s. 1, dicens : « Dogma catholicum « est Apostolos, tametsi extraordinaria praeditos « potestate quae, data personis, cum ipsis interiit, « fuisse Petro subjectos, quem solum Apostolis « praeesse Christus jussit; et subesse plenitudini « potestatis Romani pontificis (quae velut ordinaria in « Petro, ita in ejus successoribus ordinaria est) « omnes episcopos, qui extraordinaria potestate « Apostolorum destituuntur. »

#### QUAESTIO VIII<sup>a</sup>

Utrum apud clericos episcopis inferiores aliqua jurisdictio ecclesiastica, ex Christi institutione, admittenda sit?

(Vide Perriot : *de Eccl.*, p. 298... 303. — Vincent : *de Eccl.*, n. 181.)

272. Resp. negative, id est : clerici episcopis inferiores nullam habent, ex Christi institutione, jurisdictionem, sive in universam Ecclesiam una cum Romano Pontifice, sive cum episcopis super varias

dioceses, sive sub episcopis super varias parochias exercibilem. Unde :

Dico 1<sup>o</sup> : *Exercere, jure divino, supremam in Ecclesia auctoritatem, una cum Romano Pontifice et dependenter ab eo, non spectat ad clericos episcopis inferiores.*

Prob. 1<sup>o</sup> *Scriptura sacra.*

Verba enim Christi supremam in Ecclesia auctoritatem conferentis, diriguntur, vel ad solos Apostolos, vel ad solum Petrum. Atqui, Petrus non habuit alium successorem in primatu nisi Pontificem Romanum, ex jam probatis, et soli episcopi vocantur in Traditione Apostolorum successores.

Prob. 2<sup>o</sup> praesertim *ex historia ecclesiastica.*

Etenim, suprema in Ecclesia, auctoritas a pastoribus, una cum Romano Pontifice et dependenter ab eo, in generalibus conciliis potissimum exercetur; et ideo, si hanc exercere pertineret etiam ad clericos episcopis inferiores, illi clerici deberent, jure divino, omnes ad concilia generalia convocari, et in eis suffragium dare. Atqui nunquam id factum est. Presbyteri ad concilia non sunt nisi rarissime vocati; canones qui episcopis per se aut per legatos ad concilia non praesentibus poenam infligunt, nihil decernunt contra presbyteros absentes; in designandis conciliorum membris, soli episcopi aut eorum procuratores nominantur; conciliorum decreta solis episcopis adscribuntur. Hinc, quando presbyteri praesentes sunt et subscribunt, alia utuntur formula ac episcopi; formula episcoporum est : *Ego judicans, vel pronuntians subscripsi*; presbyterorum vero : *Ego subscripsi.*

Quinimo, nonnunquam a conciliis generalibus positive exclusi sunt presbyteri. Sic in conc. Chalced. quod est generale IV, Patres sic loquuntur : « Petimus, superfluos foras mittite; synodus episcoporum est, non clericorum. » Conc. gen. VIII ait : « Nuncquam sacri canones sanciant, ut ad synodos principes saeculares cogantur, sed soli episcopi. » In conc. Lugd. II, anno 1274, plerosque secundi ordinis ministros foras miserunt Patres, iis duntaxat retentis qui ad sanctam synodum fuerant invitati.

Confirmatur confessione haereticorum qui, ab episcopis suo Capiti junctis damnati, non ausi sunt conqueri de presbyterorum exclusionem in sua causa judicanda.

Dictum est in conclusione : *exercere auctoritatem supremam.* Multi enim asserunt esse *de jure divino*, quod Romanus Pontifex semper praesto habeat collegium virorum ecclesiasticorum, cum quibus, si opportunum judicaverit, de negotiis ad bonum Ecclesiae spectantibus deliberet. Cujus collegii membra, a seculo VIII, vocantur *Cardinales*. Sed quia Papa de jure divino nunquam tenetur, aut Cardinalium consensum obtinere aut exquirere consilium, hinc est prae laudatum privilegium non esse veram et propriam auctoritatem.

273. Dico 2<sup>o</sup> : *Presbyteri, etiam parochi aut canonici, non sunt, jure divino, episcoporum jurisdictionis in dioecesibus administrandis participes, nequidem ut consilarii.*

Prob. 1<sup>o</sup> *ex verbis Christi* qui Apostolis, et in eorum persona, episcopis conferens jurisdictionem, hanc nunquam ea adjuncta conditione limitavit, quod non exerceretur nisi consultis sacerdotibus.

Prob. 2<sup>o</sup> *ex praxi Ecclesiae*. Nunquam enim in celebrandis conciliis particularibus, alii quam episcopi habiti sunt tanquam necessaria eorundem membra; leges ecclesiasticae, conciliorum particularium celebrationem praescribentes, de solis episcopis loquuntur; litterae synodales a solis episcopis mittuntur et subscribuntur; insuper, circa casus in quibus tenentur episcopi consulere suos canonicos, non una fuit disciplina, et omnes concedunt hanc obligationem consuetudine auferri posse. Porro haec omnia evidenter jus divinum excludunt.

Prob. 3<sup>o</sup> *auctoritate Pii VI*. In Bulla *Auctorem fidei*, Pius VI damnavit propositiones asserentes reformationem abusuum circa disciplinam ecclesiasticam, ab episcopo et parochis aequaliter pendere, et decreta episcoporum non esse acceptanda, nisi a synodo dioecesana approbata fuerint.

Idem, in suo Brevi 10 Martii 1791, contra Constitutionem civilem cleri Gallicani, sic loquitur : « Quid « aliud hisce decretis efficere conventus voluit, quam « evertere et ad nihilum redigere episcopatum ipsum?... Quid hoc aliud est, quam ut unaquaeque « dioecesis regatur a presbyteris, qui episcopi jurisdictionem obruant? Nonne hunc in modum illi contradicitur doctrinae, quae in Actis Apostolorum « legitur : Spiritus sanctus posuit episcopos regere « Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, omnisque sacrae hierarchiae ordo invertitur prorsus « ac perturbatur? Aequantur nempe presbyteri episcopis. »

274. Dico 3<sup>o</sup> : *Jurisdictio parochialis non est de jure divino.*

Prob. 1<sup>o</sup> *ex historia*. Non fuerunt in Ecclesia parochi ante IV seculum, sed fideles, sive intra, sive extra civitatem episcopalem degentes, apud solum episcopum sacros conventus sacramve liturgiam celebrabant. Seculo autem IV, institui coeperunt parochiae rurales; sed ante seculum XI, non fuerunt parochiae in civitatibus episcopalibus, exceptis forsitan Roma et Alexandria. Atqui, repugnat Ecclesiam tamdiu caruisse institutione quae fuisset juris divini.

Prob. 2<sup>o</sup> *ex defectu fundamenti*. Duplex tantum allegatur fundamentum sententiae contrariae, et utrumque labile reperitur.

1<sup>um</sup> fundamentum est : Christum ipsum septuaginta duos discipulos instituisse ac misisse, et hos a nonnullis Patribus datos esse veluti formam ac figuram parochorum; unde parochi videntur iis successisse.

At haec ratio nulla est. Septuaginta duo discipuli nec fuerunt parochi, nec fuerunt typi parochorum. Non fuerunt parochi : Parochus enim est sacerdos cui aliqua plebs determinata modo permanenti commissa fuit, ut illius spiritualem curam gerat per catechizationem et Sacramentorum administrationem. Sed nil tale reperies in septuaginta duobus discipulis; non fuerunt ergo parochi. Nec magis fuerunt typi parochorum : officium enim ipsis demandatum omnino parochialis muneris dissimile apparet, et potius habet analogiam cum missionariorum ministerio; missi sunt siquidem bini, sine baculo et pera, ut fidem christianam apud nondum baptizatos implantarent. Patres igitur, ubi presbyteros cum septuaginta duobus discipulis comparant, hoc sensu intelligendi sunt, quod per discipulos adumbratum fuerit sacerdotium secundi

ordinis; ita ut, sicut hi erant apostolis inferiores, superiores vero caeteris quos evangelizabant; ita et presbyteri ac parochi tenent quasi medium locum inter episcopos et simplices fideles.

2<sup>um</sup> fundamentum est : Christum cui placuit Ecclesiam universam inter episcopos, ad perfectiorem regiminis ordinationem, distribui, eadem de causa voluisse ut unaquaeque dioecesis inter varios parochos partiretur.

Sed nec valet illa ratio. Christus enim voluit Ecclesiam suam esse universalem, seu tantae extensionis, ut ad eam recte gubernandam, praeter Pastorem supremum, alii variis Ecclesiae partibus pastores praeficerentur. At nullatenus ordinavit dioeceses futuras esse tantae amplitudinis, ut unicus in singulis pastor non sufficeret. Id ergo pendet ex circumstantiis; nec necessaria erat positiva Christi institutio, qua tenerentur episcopi parochias erigere; ad quam erectionem satis erat Ecclesiae potestas ordinaria.

**275. Dico 4<sup>o</sup> :** *Conveniens fuit clericos episcopis inferiores, jure ecclesiastico deputari ad spiritua-  
lem animarum curam.*

Prob. breviter : Nam, ex una parte, clerici per receptos ordines convenienter disponuntur ad obeunda valide, licite et utiliter munera suo ordini congruentia; et ex altera parte, episcopi omnia suae jurisdictionis munera personaliter obire non tenentur, nec semper possunt.

QUAESTIO IX<sup>a</sup>

Utrum et quatenus ad corporis Ecclesiae constitutionem status religiosus divino jure pertineat?

(Vide Perriot : *de Eccl.* p. 303... 308.)

**276. Resp.** Praemittendum est quid sit status religiosus. Definitur : *Status ab Ecclesia approbatus fidelium in communi viventium, et ad perfectionem tendentium, per vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae.*

Hinc clerici in hoc a religiosis discrepant, quod priores immediate ad sanctificandas animas instituantur, et posteriores immediate ad propriam ac privatam cujusque perfectionem; sed hi duo status in eadem persona simul existere queunt.

**277. Dico 1<sup>o</sup> :** *Status religiosus substantialiter sumptus est de jure divino consulente, non praecipiente.*

Substantia status religiosi est publica et stabilis professio tendendi ad perfectionem per trium consiliorum evangelicorum observationem. Atqui hujusmodi professio Christum habuit auctorem, qui in Evangelio, ut omnes norunt, publicam et stabilem paupertatis, castitatis et obedientiae observantiam commendavit.

**278. Dico 2<sup>o</sup> :** *Ad jus divinum accedit ut sint in Ecclesia religiosae familiae.*

Etenim, a multo tempore Ecclesia publicam votorum paupertatis, castitatis et obedientiae professionem non acceptat, nisi in vita communi habeatur. Sed Christus voluit statum religiosum existere dependenter ab Ecclesia. Hinc est quod Pius VI, in suo Brevi *Aliquan-*